



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Quod fides in Christum justificet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Quòd fides in Christum iustificet.

Primùm, ne quis putet nos de ociosa notitia historia loqui, dicendū est, quomodo contingat fides. Postea ostendemus, & quòd iustificet, & quomodo hoc intelligi debeat, & diluemus ea, quæ aduersarij obijciunt. Christus Lucæ ultimo iubet prædicare pœnitentiã in nomine suo, & remissionem peccatorum. Euangelium enim arguit omnes homines, quòd sint sub peccato, quòd omnes sint rei æternæ iræ ac mortis, & offert propter Christum remissionem peccatorum, & iustificationem, quæ fide accipitur. Prædicatio pœnitentiæ, quæ arguit nos, per terrefacit consciências veris & serijs terroribus. In his corda rursus debet concipere consolationem. Id sit, si credant promissioni Christi, quòd propter ipsum habeamus remissionem peccatorū. Hæc fides in illis paucibus erigens & consolans accipit remissionem peccatorū, iustificat & viuificat. Nam illa consolatio est noua & spiritualis vita. Hæc plana & perspicua sunt, & à pijs intelligi possunt, & habent Ecclesiæ testimonia. Aduersarij nusquam possunt dicere, quomodo detur Spiritus sanctus. Fingunt sacramenta conferre Spiritum sanctum ex opere operato, sine bono motu accipientis, quasi verò otiosa res sit donatio Spiritus sancti.

Cùm autem de tali fide loquamur, quæ non est otiosa cogitatio, sed quæ à morte liberat, & nouam vitã in cordibus parit, & est opus Spiritus sancti, non statim cum peccato mortali, sed tantisper, dum adest, bonos fructus parit, vt postea dicemus. Quid potest dici de cõuersione impij, seu de modo regenerationis, simplicius & clarius? Proferant vnũ commentariũ in sententijs, ex tãto scriptorũ agmine, qui de modo regenerationis dixerit. Cũ loquuntur de habitu dilectionis,

tingunt eum homines per opera mereri, non docent per verbum accipi, sicut & hoc tempore Anabaptistae docent. At cum Deo non potest agi, Deus non potest apprehendi, nisi per verbum. Ideo iustificatio fit per verbum, sicut Paulus inquit: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Fides est auditu. Et vel hinc argumentum sumi potest, quod si fides iustificet, quia si tantum fit iustificatio per verbum & verbum tantum fide apprehenditur, sequitur quod si fides iustificet, sed sunt aliae maiores rationes. Haec diximus hactenus, ut modum regenerationis ostenderemus & ut intelligi posset, qualis sit fides, de qua loquimur.

Nunc ostendemus, quod fides iustificet. Vbi primum hoc monendi sunt lectores, quod sicut necesse est hanc sententiam tueri, quod Christus sit mediator, ita necesse sit defendere, quod fides iustificet. Quomodo enim erit Christus mediator, si in iustificatione, non utimur eo mediatore: si non sentimus, quod propter ipsum iusti reputemur? Id autem est credere, confideri meritis Christi, quod propter ipsam certò velit nobis Deus placatus esse. Item sicut oportet defendere, quod praeter legem, necessaria sit promissio Christi, ita necesse est defendere, quod fides iustificet. Lex enim non potest fieri, nisi prius accepto Spiritu sancto. Necesse est igitur defendere, quod promissio Christi necessaria sit. At haec non potest accipi nisi fide. Itaque qui negant fidem iustificare, nihil nisi legem abolito Euangelio, & abolito Christo docent.

Sed nonnulli fortassis, cum dicitur, quod fides iustificet, intelligunt de principio, quod fides sit initium iustificationis, seu praeparatio ad iustificationem, ut ut non sit ipsa fides, illud quo accepti sumus Deo, sed opera quae sequuntur. Et somniant fidem ideo valde laudari, quia sit principium. Magna enim vis est principii, ut vulgò dicunt, ἀρχὴ ἡμῶν πάντων, ut si quis

dicat, quòd Grammatica efficiat omniũ artium doctores, quia præparet ad alias artes, etiam si sua quæque ars verè artificem efficit. Nò sic de fide sentimus, sed hoc defendimus, quòd propriè ac verè ipsa fide propter Christum iusti reputemur, seu accepti Deo simus. Et quia iustificari significat ex iniustis iustos effici, seu regenerari, significat & iustos pronuciari seu reputari. Vtroq; enim modo loquitur scriptura, Ideo primùm volumus hoc ostèdere, quòd sola fides ex iniusto iustũ efficiat, hoc est, accipiat remissionem peccatorum.

Offendit quosdam particula, sola, cùm & Paulus dicat: Arbitramur hominem iustificari fide, non ex operibus. Item, Ephesios 2. Dei donum est, non ex vobis, neq; ex operibus, ne quis gloriatur. Item Rom. 3. Gratis iustificati. Si displicet exclusiua, sola, tollant etiam ex Paulo, illas exclusiuas, gratis, non ex operibus, donum est, &c. Nam hæ quoq; sunt Exclusiuæ. Excludimus autem opinionem meriti. Non excludimus verbum aut sacramenta, vt calumniantur aduersarii. Diximus enim supra, fidem ex verbo concipi. Ac multò maximè ornamus ministerium verbi. Dilectio etiam & opera sequi fidem debent, quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed fiducia meriti dilectionis aut operum in iustificatione excluditur. Idq; perspicuè ostendimus.

Quòd remissionem peccatorum sola fide in Christum consequamur.

Fateri etiam aduersarios existimamus, quòd in iustificatione primùm necessaria sit remissio peccatorum. Omnes enim sub peccato sumus. Quare sic argumentamur:

Consequi remissionem peccatorum, est iustificari, iuxta illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates.